



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thronus Dei Maria Deipara

Spinelli, Pietro Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1696

Templvm Domini. Sacrarium Spiritus sancti. Sanctissimæ Trinitatis nobile
triclinium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46853](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46853)

TEMPLUM DOMINI, SACRARIVM Spiritus sancti sanctissima Trinitatis nobile ericlinium.

modum Virgo sanctissima sanctitatem consecratur, sanctumque, & admirabile, ac summo Deo dignum Templum existit. Idem orat. 1. de Natiuitate Virg. Templum Dei sanctum, quod Princeps Salomon (id est, Christus) construxit, & habitauit, non auro & inanimatis lapidibus ornatum, uirum auri loco spiritu fulgens, pro lapidibus autem pretiosis margaritam ingentis pretij Christum habens: quin etiam orat. 2. de dorm. Virg. Sepulchrum euidem Deiparæ vocat, Diuinum templum. Petrus Damianus serm. 3. de Natiuitate. Hæc prodijt ex utero matris, quæ Templum fieri meruit diuinitatis. Anselmus inuocatione Virginis, Templum misericordiæ vocat cum Augustino serm. 2. de Assumpt. Bernardus serm. 1. de Assumpt. Nec in mundo dignior locus fuit uirginis ueri Templo, quo Maria Dei filium suscepit. S. Antoninus 3. part. tit. 21. c. 4. §. 1. accommodat Virgini illud Psal. 47. Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui, id est, Virginis Deiparæ: & quoniam templum locus est immunitatis, & uenerationis, ac oblationum, hinc infert peccatores magnam in Virgine immunitatem sperare, eamque uenerari, ac per eam suas oblationes Deo offerre debere S. Brigitta lib. 3. reuelatio. c. 6. habet quomodo Virgo dicatur, Templum Salomonis, eidemque applicat proprietates illius templi, uide superiori capite quomodo uirtutes Virginis præclarissimæ per lapides pretiosos, & expensas ingentes in templo Salomonis factas adumbratur. Et quemadmodum in templo Salomonis duo erant altaria, ut animaduertit Augustinus serm. 225. de tempore: In illo, inquit, quod foris erat animalium eadebatur sacrificium, in illo uero altari, quod intus erat Thymiamatis offerabatur incensum: ex quo colligit Augustinus Deum à nobis (qui mysticè templum Dei sanctum ex Apostolo 1. Cor. 3. esse debemus) duplex sacrificium querere, unum ut simus casto corpore, aliud ut mundo corde, ut in exteriori altari, id est, corpore nostro afferantur opera bona in corde odore iuauitatis redoleat cogitatio sancta, & in illo altari iugiter quotidianus ignis ardeat, quod ignem charitatis, quem in corde habere debemus, significat, hæc ex Augustino. Ita in Virgine sanctissima, quæ templum fuit Domini, duo hæc altaria perfectissimè inueniuntur, unum Thymiamatis, in quo per orationem intus, alterum sacrificiorum;

Pet. Dam.

Anselm.

Augustin. Bernard.

S. Anton. Psalm. 47.

S. Brigitta 3. Reg. 6.

Augustin. 1. Cor. 3.

7. Reg. 6. 3^o Hæc per Templum Domini 3. Reg. 6. Virgo est figuratur, & ita eam uocat Ecclesia in Antiphona: Magnum, inquit, hereditatis mysterium, Templum Dei factus est uterus noscens uirum, & alibi, Templum Domini, Sacrarium Spiritus sancti: quæ uerba desumpta sunt ex Hieronymo lib. aduersus Heluidium, ubi eam Templum Domini corporis, & Sacrarium uocat Spiritus sancti: Et in hymno ex Sedulio. Domus pudici pectoris, Templum repente sic Dei. S. Jacobus in Liturgia uocat Templum sanctificatum. Epiphanius serm. de Deipara: O B. Maria Cælum, Templum, & thronus diuinitatis: & iterum Templum appellat impollutum. Chrysostomus in sua Liturgia animatum Dei Templum nominat. Ambrosius epistol. 82. uocat corporale Dei templum, in qua corporaliter habitauit plenitudo diuinitatis. German. Patriarcha Constantinopolitanus oratione de oblat. Deipar. In templo intuemur, inquit, quemadmodum Templum Domini animatum templo in animo dicitur. Augustinus serm. 17. de Natiuit. Domini loquens de incarnatione sic ait: Per fidem Christus in templum pudoris, hoc est sanctissimam uirginem intrauit. Cyrillus Alexandrinus homil. 6. contra Nestorium Templum indissolubile: similiter & Georgius Nicom. orat. de oblat. Virg. quasi dicant, non erat dissolubile, quale erat templum Salomonis, de quo intelligebant Iudæi illud: soluite templum hoc, à Christo tamen prolatum de templo corporis sui. Petrus Chrysolog. serm. 144. Virgo, inquit, factum est magnum Deitatis Templum, quæ erat pusillum humanitatis hospitium. Ildesontus in sermonibus de Assumpt. uocat eam serm. 1. Dei Templum, in quo pro salute hominum omnium Deus homo immolatus. & sermo 3. Templum Diuinitatis. & serm. 6. meritò Domini Templum, Spiritus sancti sacrarium, & appellatur, & creditur. & serm. 9. Tabernaculum gloriæ, Templum cælestis. Andri. Cretensis in salutationem Angelicam, illam magnificum diuinæ gloriæ Templum, Hesycius serm. 3. de Deipara Templum Cælo maius appellant. Damascenus lib. 4. de fide orthodox. cap. 15. Ad hunc, inquit,

S. Jacob. Epiphani.

Chrysost. Ambros.

German. Patriarch.

Augustin.

Cyrl. Alex. Georg.

Ioan. Pet. Chry.

Ildesontus

And. Cre.

Hesycius. Damasc.

in quo per sui mortificationem se ipsam extra Deo immolabat igne charitatis flagrantissima semper succensa. Hinc est quod Cant. 3. Deipara comparatur *virgula fumi ex aromatis* *bus myrrha. & thuris*, quæ mortificationis, & orationis sunt symbola, quemadmodum cap. 21. plenius dicemus. Sanctus Antoninus loco citato Mensam panum propositionis, & reliqua, quæ in templo erant Deiparæ virtutibus eleganter accommodat, quod nos cap. 21. asseremus.

39 Illud tamen silentio minimè prætereundum; Deiparam non tantum ratione filij Dei, qui ex eius utero carnem suscipere, in eoque nouem menses degere est dignatus, Dei templum, & sanctuarium appellari; verum etiam ratione Spiritus sancti, de quo filius Dei in Matris utero ex sacris litteris conceptus dicitur, quod Angelus Virgini præsignificauit illis

verbis: *Spiritus sanctus superueniet in te, peculiari ratione Sacrarium Spiritus sancti, & Sedem Spiritus sancti reuerenter nominari; si enim ex Apostolo 1. Corint. 6. membra ipsa iustorum templum sunt Spiritus sancti, qui est in eis: quin etiam à S. Thoma 3. part. q. 25. art. 6. organa eiusdem Spiritus sancti per eos operantis esse perhibentur; quanto potiori iure Deiparæ corpus Templum, & Organum sancti Spiritus, & insuper eam, in cuius utero Christi corpus Spiritus sancti virtute est formatum, eiusdem Spiritus sancti Sacrarium dicemus unà cum Ecclesia in quadam Antiphona. & Ildesonso serm. 3. & 4. de Assumpt. quare Hieronymus libro contra Heluidium, qui Deiparæ perpetuam virginitatem negabat, contra hanc eius impietatem sic exclamatur: Tu Templum Domini corporis succendisti, tu contaminaisti Sacrarium Spiritus sancti? & in eodem libro eam vocat Sedem Spiritus sancti, & S. Cyprianus in serm. de Christi Natiuit.*

Nec recesserat, inquit, à venerabili pectore matris Spiritus sanctus ad verbum Gabrielis elapsus; possidebat Domum suam, & Templum, quod sibi consecrauerat adornabat, seruabat Sacrarium suum, & sanctimonia Thalamum honorabat. hæc Cyprianus. & Bernardus sermone 4. de Assumpt. *Qua, inquit, vel Angelica puritas diuinitati illi audeat comparari; qua digna fuit Spiritus sancti Sacrarium fieri, & Habituaculum filij Dei. Ildesonus serm. 6. de Assumpt. *Qua, merito, inquit, Domini Templum, Spiritus sancti Sacrarium, & appellatur, & creditur.**

Quoniam verò, ut Saeni loquuntur Theologi, sanctissimæ Trinitatis opera ad extra sunt indiuisa, idcirco corporis Christi conceptio licet Spiritui sancto, qui est amor Patris, & Filij tribuatur, cum opus fuerit ex maximo Dei amore; & licet solus filius sit incarnatus, à tota tamen sanctissima Trinitate, ut docent Theologi cum S. Thoma 3. part. q. 32. art. 1. & 2. in utero Virginis peracta est. Quare Ecclesia in quadam collecta ait: *Patrem aeternum gloriosa Virginis corpus, & animam, ut dignum filij sui habitaculum esset mereret Spiritus sancto cooperante preparasse, eaque de causa Deipara teste S. Thoma opusc. 8. dicitur: totius Trinitatis nobile Triclinium.* quo titulo eam compellat S. Bonauentura in laude B. Virginis rhythmica, quæ in tomo 2. opusculorum habetur, idque singulari ratione præ aliis iustis. Nulli enim sanctiorum asseri potest, quod Gabriel Angelus soli Deiparæ tribuit. *Virtus, inquit, Altissimi obumbrabit tibi. Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei, Spiritus sanctus superueniet in te.* quare Bernardus serm. 3. super missus est, in illa verba: *Dominus tecum, docet, non solum In, sed etiam Cum Maria, fuisse Dominum Patrem, cuius filium concepit, & Dominum filium, quem carne sua induit, & Dominum Spiritum sanctum, de quo concepit, qui cum Patre & Filio, eius uterum sanctificauit. Idemque Bernardus serm. 3. de Annunciatione affirmat, Deiparam gratiâ plenam, singularem, & generalem gratiam accepisse: *Sola, inquit, generalem gratiam singulariter accepisti, nam sola præ omnibus gratiam inuenisti Singularem, quod sola hanc inuenisti plenitudinem. Generalem, quod de ipsa plenitudine accipians uniuersi sic Bernardus.**

Mensa Panum Propositionis.

Hæc est illa Mensa panum propositionis Exod. 15. quæ Levit. 24. dicitur: *Mensa purissima; fuit enim Virgo sanctissima instar illius mensæ omni puritate mundissima ex lignis setim, virtutibus mirum præclarissimis constans: cur autem eximie Virginis virtutes lignis setim comparentur, infra, ubi de Arca, dicemus: fuit etiam auro purissimo inaurata, charitate videlicet seruenti fulgida, duplici cinæta corona, altera quam vocant auream, quæ gloria essentialis, quæ in Dei clara visione, & amore est posita, significatur, quam in*

cælo